P.32

317494
AMER COLL

HONOR LABOR VALOR



EX-LIBRIS
FRANCISCO DE LA GUERRA

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b29313946

✠

THESES

PRO GRADU LICENTIATUS

IN MEDICINA:

QUAS

DIVINO AUSPICIO, ET PRAESIDE

D. GABRIELE MORENO,

DOCTORE MEDICO,

DISPUTATIONI SUBJICIET

JOSEPH DE VERGARA,

BACCHALAUREUS MEDICUS,

IN DIVI MARCI ACADEMIA,

Decembris

DIE 11. NOVEMBRIS.

ANN. MDCCXCIII.

Multa dies variusque labor mutabilis aevi
Retulit in melius . . . . .

Virgil. Aeneid. xi. v. 425

TITULARIS MEDICA.

Phthisi Pulmonum idiopaticae, aer vitalis.

TITULARIS PHYSICA.

Cacumina Andium, conductorum electricorum instar, fluidum electricum, per oras Peruvii occidentales late diffussum, ad se jugiter rapiunt. Hinc toto isto coeli tractu nec fulgura, nec tonitrua.

SELECTAE EX QUINQUE MEDICINAE partibus positiones.

ANATOMIA.

1. Lobi pulmonum ex innumeris sphaericis, aut sphaeroideis vesiculis componuntur. Harum quaelibet retis est, ex ramusculis arteriae, et venae pulmonalis in circulos concentricos se mutuo osculantes inflexis, membrana cellulari obvelatis, firmatis contexta. Ex arteriarum surculis vascula perspirantia numero infinita in areas vesicularum hiant, totidemque inhalantia ex areis in cavum venarum aperiuntur.
2. Rivus sanguinis quantus quantus corporis membra omnia, minimosque ipsius cordis re-

ce-

ceſſus irrigat, per pulmones (Propoſitio 1.) trajicitur. Hic exacta chili permiſtio, hic denſitas, calor, et rubicundus color ſanguini datur. Lower.

PHYSIOLOGIA.

3. *S*anguinis per pulmones fluentis mutatio (Propos. 2.) evincit aliquid de aere inſpirato eidem miſceri. An Antiquorum ſpiritus? An elaſticitas Borelli? Liquorve nitroſus Loweri? Ignotum quid Boerhaavio, cognitione felicioris ſaeculi reſervatum, perenne vitae nutrimentum aer certe eſt vitalis, fortunati Prieſleyi indagatiotionibus ex atmoſphaerae chao eductus. Aer nempe puriſſimus, perfecte elaſticus inodorus, combuſtioni, et reſpirationi amiciſſimus, tertiam aeris ambientis partem conſtituens. qui vero ex oxygeno, et calorifico (a) coaleſcit.

4. Reſpiratio animalis vera combuſtio eſt, qua aer vitalis in ſua elementa reſolvitur. Oxygenetes particulis carbonicis per vaſcula perſpirantia (Propos. 1.) jugiter emanantibus foederatur, acidum conſtituit carbonicum, deleterium, foraſque ejicieitur. Thermogonos, ſeu calorificum per inſpirantia (Prop. 1.) ſanguini miſcetur. Quam verum illud Galeni, reſpirationem eo inſervire, ut fuligines de cor-

po-

(a) *Nomina recentia, quibus cum acidum univerſale, tum elementarii ignis denotantur.*

pore expellantur, spiritus verò igneus equidem futurus animalium spiritum materies, sanguini societur! Theoria uberior, pene infinita oeconomiae animatae mysteria, quantum jam nobis aperis!

PATHOLOGIA.

5. Phthisis pulmonum idiopaticae causam proximam in systematis nervosi, sed vasculosi in primis debilitate locamus. Eane ex defectu spiritus, vitae pabulum (Prop. 3.), aut non debita miscela (Prop. 4.), et distributione orta? Fluidorum, et solidorum corporis humani naturam, dotes, coherentiae gradus, sicci, et humidi proportione, harmonia determinatos consideranti, solutio patebit.

6. Dubia sententia quae contagium Phthisi tribuit. Observationes quam plurimae contrarium probant; at sub coelo tamen humido, et calido, quibus de salute publica cura est, dubium contagium arcere religioni habetur. Sed ne quid nimis: ure sarcinas spurcicie maculatas, reliqua solitis fumigationibus, lotionibus, et si fas est, ope apparatus pneumatico-chemici aeri vitali (Prop. 3.) expone.

7. Causa Phthiseos (Prop. 5.) incognita eis, qui sola puris inspectione fausta, aut sinistra praesagiunt. Compressio pectoris, respiratio laesa, tussis sicca, vox rauca, sapor ex

dul-

dulci salsus, febris lenta, corporis extenuatio, pulmones tuberculis inorganicis exasperari, Phthisim incipere significant. imo potest adesse pus ante inflamatum pulmonem, quinque eum ulcus depascatur. Haen.

DIETETICA.

8. Potio indica ex theobramate parata jucundum, et gratissimum Phthisicis alimentum. Nec vereamini pastillos chocclatae cinnamomo subigi, aut lacte dilui: cinnamomus, energica fragrantia tonicus praestantissimus, causae Phthiseos (Prop. 5.) adversatur: *lac vero assumtu suave, potu facillimum, nutritu solidum . . . . ulceribus dulce subsidium, et quolibet alio benignius.* Aretaeus.

9. Plantae aerem combustione, et respiratione animali alteratum inhalant; aerem vero vitalem, purissimum, solis lumine collustratae ingenti copia exhalant. Ergo Phthisicos ad loca sata, et amoena vireta, ambulationis diurnae, et animae causa mittendos.

COROLLARIA.

Multa fertilis materia nobis deducenda offert; pauca tamen saeculi indagationis propria, et quae amoenitate commendantur, apponere licebit.

1. Jam tandem intelligitur, cur animalibus aerem vix, aut omnino non respirantibus sanguis inest frigidus?

2. Aer vitalis eandem compraessionem, qua aer atmosphaericus ad 0, 0078 sui voluminis reducitur, pati potest?

3. Plantarum folia, solis radiis attacta, facie supina aerem vitalem; tenebris vero suffusa, facie prona aerem mephiticum exhalant?

4. Eadem folia mirabili structura aquam resolvunt, hujus hydrogenum absorbent; ex oxygeno aerem vitalem extricant, ac rore benigno in atmosphaeram diffundunt?

5. Flores omnes semper aeremmephiticum exhalant; atque his exhalationibus tribuenda effecta, quae sub quarundam arborum umbra experiuntur letifera?